



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XV. Virginis arbitrato pius uir Ticini Episcopus deligitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

*MIRAC. VIRG. XV.**Virginis arbitrato pius uir Ticini Episcopus deligitur.*

Hieronymus, ciuis Ticinensis, & clericus, quotidie Virginis pietatem mira religione implorabat, & obtestabatur, illiq. placere, magno opere studebat. Fortè Ticini episcopus è uita excessit. Sacerdotes omnes ieiunijs ac supplicationib. publicè decretis Deum precati sunt, ut, quinam episcopatu dignus esset, indicaret. sibi mirificè deditum uirum quendam interim Virgo adiit; eiq. edixit, ut Ticinensem populum moneret; uti scribam suum Antistitem adscisceret. quaerèti illi de ipsa Virgine, quinam esset ille scriba; respondit ipsa, eum esse, cui Hieronymo nomen erat; quo nemo eo tempore pietate erga Deū insignior erat, qui fideliter, & studiosè Deo inferuebat. Eam rem Ticinenses exitu praestare minimè distulerunt. Itaq. pio uiro dum uixit, tantus honos delatus est; post mortem uerò beato coeli aeuo cum sempiterna felicitate frui coepit.

*MIRAC. VIRG. XVI.**Castissima Dei parens sibi dediti pictoris famam tuetur.*

In opulento coenobio Hieronymus pictura mirificè delectabatur; & operam praecipuè dare solebat; ut Virginem, quàm posset, pulcherrimè pingeret. Quòd si pingenda erat Satanae imago, obni-